



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. An repudium olim fuerit licitum Judæis, & Romanis aliisque
Gentilibus, ita ut repudiando uxores, non peccarent, Deo dispensante in
lege naturæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

monium significat, non est per similitudinem tantum naturæ, quam Christus habet cum toto genere humano, sed per fidem & charitatem, quæ ut sponsus Ecclesiam ut sponsam diligit, ut ex Pauli discursu colligitur, qui maritos adhortatur ad uxores diligendas, sicut Christus dilexit Ecclesiam; ad hanc autem conjunctionem significandam matrimonium infidelium, utpote fide carens, aptum non est. Ex quo intelliges rationem, ob quam matrimonium consummaturum infidelium, per alterius conjugis ad fidem conversionem, divini possit, non autem fidelium per unius conjugis apostasiam à fide, tametsi nonnunquam majus periculum sit, ne hic per conjugem à fide aversum, quam ille per conjugem in sua infidelitate perseverantem, perventur; quia nimirum matrimonium infidelium non est à Christo assumptum, ad significandam indissolubilem sui cum Ecclesia conjunctionem, sicut matrimonium fidelium.

19 Colligitur tertio, matrimonium in lege nova esse magis indissolubile, quam fuerit in lege naturæ, vel in lege Mosaica. Nam ut docet sanctus Doctor loco citato, matrimonium fidelium ante Christi adventum, non significabat unionem Christi cum Ecclesia, hanc enim significationem accepit in lege Evangelicæ, cum fuit elevatum à Christo ad dignitatem Sacramenti novæ legis, quia congruentius fuit quod eam haberet, post factam Verbi cum natura humana, & Christi cum Ecclesia conjunctionem; tum etiam, quia ante Christi adventum licitum erat matrimonium unius cum pluribus uxoribus; hoc verò matrimonium aptum non erat ad significandam unionem Christi cum Ecclesia, quæ est una, & multo minus Verbi cum humanitate assumpta, quæ etiam unica est. Ex quo intelliges, cur in lege Mosaica matrimonium esset solubile per hocellum repudii, ut dicitur articulo sequenti, in lege verò Evangelicæ id non liceat, quia nimirum in lege nova significat unionem Christi cum Ecclesia, quam Deus nunquam repudiabit, juxta illud Olee sponsabo te mihi in sempernum; in lege verò Mosaica, hac significatione carebat.

ARTICULUS II.

An repudium olim fuerit licitum Iudeis, & Romanis, aliisque Gentilibus, ita ut repudiando uxores, non peccarent, Deo dispensante in lege naturæ?

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & re-feruntur sententia.

20 Suppono primò, quod olim in lege Mosaica permittitur Iudeis uxores dimittere, & libello repudii uxori dato, aliam ducere: De utero enim 24 sic dicitur: Si acceperit homo uxorem, & non invenit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam infirmitatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Forma verò huius libelli, seu verba in eo contenta, hæc erant: Ego Rabbi Simeon filius Rabbi Abraham, filij Rabbi David, filij Rabbi Salomon, & primâ mensis secundi, anno

à creati me mundi &c. hi & in hac civitate, ex animi mei consensu, & sine ulla coactione, repudiavi Rachel siliam Rabbi Mosi filij Rabbi Joseph filij Rabbi Jacob; & dedi illi libellum repudii in manu, chedam abscessionis, & signaculum divisionis, ut sit à me abjecta, & abeat quocumque voluerit, ducitque possit ab omni viro, nec eum quicquam prohibere presumat, juxta constitutiones Moysi, & Israel. Debebat autem hic libellus, non ab ipso repudiante, sed ab aliquo docto scriba componi, idque duplici de causa, primò, ut mora scribendi tardiores maritus redderet ad repudiandum, daretque tempus maturius ea de re deliberandi, extincto interea, vel remisso fievore odii & iracundiæ, ut notat S. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 26. ubi ait, quod talis libellus debebat scriptis mandari, ut in dissidium animi præceptis libelli conscriptione refractus, abstineret, & quid mali esset uxorem dimittere, cogitaret. Secundo, ut scriberet à quibus exarari debebat, & quibus repudii causa exponenda erat, de ea secundum legem judicaret, & si iusta non esset, repudium impedirent, conjugatosque ad pacem & concordiam revocarent. Quia ut perhibent (subdit idem sanctus Doctor) apud Hebræos scribere literas Hebræas nullitas erat, nisi scribis solis, cum & excellentiorem profiterentur sapientiam, & si qui eorum essent æquitate ac pietate præditi, non tantum profiterentur sapientiam, sed etiam seclarentur. Ad hos igitur quos oportere esse prudentes legi interpretes & iustos & fidem diffusiores, lex voluit mittere eum, quem iussit libellum repudii dare, si dimisisset uxorem. Non enim poterat scribi libellus, nisi ab ipsis qui per hanc occasionem & necessitatem, venientem quodammodo in manus suas, bono consilio regerent, atque inter ipsum & uxorem, pacifice agendo dilectionem, concordiamque suaderent.

Porro libellus repudii in lege Mosaica dari non debebat, nisi ex gravi aliqua & iusta causa, quæ verbis Deuteronomii supra relatis, generatim nomine fœditatis exprimitur; puta sterilitas, quæ apud Iudeos erat ignominiosa, lepra, morbus perpetuo impediens debiti conjugalis redditionem, veneficium, ebrietas, morositas, & rixæ perpetuæ, vel mali mores mulieris, turbantes pacem domesticam, liberisque valde nocentes malo exemplo. Quare non sufficiebat levis causa, ut colligitur ex verbis illis Malachiæ secundo. Cum odio habueris (uxorem tuam) dimitte, dicit Dominus Deus Israel. Quæ verba ironice dicta esse à Deo, plures Interpretes asserunt, & indicant verba immediate præcedentia: Custodie ergo spiritum vestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli despiciere, unde illis Deus reprehendit Israelitas, eâ solâ de causa odio habentes & repudiantes uxores suas, quòd illæ minus essent pulchræ quàm alienigenæ.

Demum necessè non erat, ut in libello repudii ejus causæ specialiter exprimerentur, sed tantum in generali, ut ostenderetur iustum repudium, ut ait S. Thomas hic qu. 67. art. 7. Imò aliqui docent, nequidem in generali causas repudii scribi debuisse, tum quia in forma libelli supra relata non exprimitur; tum etiam, quia hoc ipso quod libellus à scribis exarari debebat, constabat authenticè causam esse iustam, utpote talem ab illis judicatam. Plura de forma repudii Judaici videri possunt apud Abulensem in cap. 19. Matth. cap. 52. & sequentibus.

Suppono secundo, quod non solum Iudei, sed etiam plerique Gentilium, olim solebant uxores repudiare, ut alias ducerent, sicut de Medis &

Per-

Perlis constat ex libro Esther cap. 1. ubi Assuerus repudiat Vasthi, & de Philistinis ex Judic. 14. ubi Samsonis uxor accepit eo relicto statim alterum de amicis ejus, & pronubis, putans se ab eo desertam & dimissam fuisse. Olim etiam usitatum fuit apud Romanos, libello per nuntium missio, uxores repudiare, his verbis: *Res tuas tibi habeo. Tuas res tibi agito, ut constet ex toto ff. de divortio & repudio, ex Cod. de repudio, & aliis relatis à Gregor. Tolosano in Syntagmate juris part. 2. lib. 9. cap. 5.* Primus verò qui inter Romanos anno circiter ab urbe condita 500. sterilitatis causa, uxori repudium dedit, teste Valerio Maximo lib. 2. cap. 3. tit. *de primo repudio*, fuit Spurius Cabilus, vel Corbilus, seu Corvinus; qui tamen reprehensione dignus judicatus est, quod cupiditate liberorum conjugali fidei prætulisset.

24. Hæc sunt certa & indubitata apud omnes, sed difficultas est & controversia inter Theologos, an repudium licitum fuerit Judæis, vel solum permittum, aut toleratum; & an Romani, alique Gentiles, repudiando uxores, peccarent contra legem naturæ, quæ matrimonii indissolubilitas præcipitur, ut articulo præcedenti ostendimus, vel utrum fuerint dispensati à tali lege, ut de Hebræis dicemus.

25. Prima sententia asserit, nunquam in veteri lege fuisse licitum repudiare uxorem, sed tantum permittum ut impune fieret, ad majus malum vitandum, ne videlicet Judæi suas uxores occiderent; præstabat siquidem eas dimittere potius quam interficere. Quare juxta hanc opinionem, peccabant Judæi dimittendo suas uxores, & vinculum matrimonii non solvebatur; ac proinde si mulieres dimissæ accipiebant novos maritos, non erat novum matrimonium, sed adulterium. Quod autem viri possent alias ducere, non erat per accessionem novi juris ex repudio, sed ex eo quod polygamia tunc esset licita, propter multiplicationem populi fidelis. Hanc opinionem docet Divus Hieronymus in cap. 19. Matthæi ad verba illa: *Moses ad duritiam*, ubi hæc scribit: *Nunquid potest Deus sibi esse contrarius, cum aliud jussit. & sententiam suam novo frangat imperio? Non ita sentiendum est: Sed Moyses cum videret propter desiderium secundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interficere, aut malam vitam ducere, maluit indulgere discordiam quam odia & homicidia perferere.* Idem docent Glossa, & Lyranus in caput quintum Matthæi. Magister in 4. dist. 33. Divus Bonaventura ibidem articulo tertio, questione prima. Sotus ibidem quest. 2. art. 2. concl. 2. Henriquez, Sylvius, & alii.

26. Secunda docet, sub lege mosaica, Deo dispensante in lege naturali, permittum fuisse Judæis repudiare uxores, non solum impune, sed etiam licite, ita ut non peccarent repudiando, & per libellum repudii, vinculum conjugale solveretur. Ita Author operis imperfecti in Matth. homil. 34. D. Thomas Matth. 19. Albertus Magnus 4. dist. 33. art. 25. Durandus ibidem quest. 3. Paludanus quest. 1. art. 2. Bellarminus de matrim. cap. 17. Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 1. alique plurimi ab ipso relati.

27. Tertia existimat, repudium licitum fuisse non solum Judæis, sed etiam Gentilibus, eosque repudiando uxores, non peccasse contra legem naturæ; quia repudio uti sunt prudentissimi viri, qui nullâ passione ducti, id ut licitum, & à lege naturali minime abhorrens judicaverunt; ut con-

A statum de Romanis jurisconsultis, ex quibus omnis penè jurisprudentia ad nos derivata est. tum de Platone, qui lib. 11. de legibus, separationem viri ab uxore suadet, quando conjugii propter morum acerbicatem inter se non conveniunt. Ita Abulensis in cap. 19. Matth. quest. 66. ad 5. & Veracrius apud Sanchez citatum, numero 8.

§. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

Dico primò, olim permittum fuisse Judæis repudiare uxores, non solum impune, sed etiam licite, ita ut eas repudiando non peccarent, Deo in lege naturæ dispensante, & matrimonii vinculum, per legem repudii dissolveretur. Probatur primò: Verba supra relata ex Deuteronomio, propriè sumpta & simpliciter, ut sonant, non significant tantum permittum seu tolerantiam minoris mali, ad vitandum majus, sed scientiam & potestatem juris, ad repudiandum uxorem; Sed verba Scripturæ, quod fieri potest, in sensu proprio & nativo intelligenda sunt, juxta regulam traditam à S. Augustino lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. præcipue verò in legibus, quæ clara esse debent: Ergo per legem repudii permittitur Judæis non solum impune, sed etiam licite, repudiare uxores; præsertim cum ex nullo loco Scripturæ colligi possit, Deum vim obligandi à lege non abstinuisse, & cum non aliter loquatur Moyses in alia quæ non permittit solum seu tolerantiam, sed & licite licere poterant Judæis.

Confirmatur: Quamvis in lege veteri aliquæ peccata permitterentur sine punitione, læpæ tamen reprehendebantur de illis Judæi à Prophetis, ut constat d. Celsus, quæ illis permittiebantur, circa alienigenas de iis enim redarguuntur Ezechiel. 18. & Psal. 14. Sed quæ in tota Scriptura legitur, quod repudiante uxores, servato modo à Moysè præscripto, reprehendatur. Nam si ironice intelligendum sit illud Malachiæ 2. *Qui odio hauriunt, dimittite, dicit Dominus Deus Israel*, ut plures Scripturæ interpretes existimant, & si verbis illis Deus ironice carpat dimitteutes uxorem, loquitur de Judæis, qui sine justa causa eas oderant, & dimittebant, ut alienigenas, quia pulchriores sibi videbantur, acciperent, ut supra annotavimus.

Probatur secundò conclusio: Per libellum repudii verè solvebatur vinculum conjugale: Ergo verè Deus dispensabat in lege naturæ indissolubilitatem matrimonii præcipientem, subindeque non solum impune, sed etiam licite, poterant Judæi uxores repudiare, & uxores repudiatae aliis nubere. Utraque consequentia patet. Antecedens verò probatur primò, quia libellus ipse repudii, qui Hebraicè, *libellus dissolutorius*, seu *abscissionis* dicebatur, satis hanc conjugalis vinculi solutionem insinuat. Secundo, quia lex mosaica non permittit fornicariis nubere duobus viris: Sed concedebat Deuteronomio 24. mulieri repudiata, ut nuberet alteri viro: Ergo per libellum repudii dissolvebatur prius matrimonium. Tertio, lex Moysis prohibebat, ne repudiata, mortuo secundo marito, nunquam reciperetur à priori viro. At si repudium non solvebat prius matrimonium, & consequenter fuisse illicitum, non erat prohibendum, sed potius op-

tandum, ut uxor rediret ad priorem suum maritum, si illam voluisset recipere; non fuisset liquidum periculum ne illam occideret, quia in casu quo ei postea iterum displicuisset, æquè eam impune secundà vice repudiare potuisset. Ergo per libellum repudii verè matrimonium solvebatur. Quarto, non videretur divinæ providentiæ congruum, permittere legem quæ subditis an- sam præbeat passim & impune adulteria per- mittendi, cum Deus quantum est ex se semper peccata impediat: At si per legem repudii non fuisset solum vinculum conjugale, & Deus non dispensasset in præcepto naturali de matri- monii indissolubilitate, quod ab initio mundi Adæ & posteris ejus inviolabiliter servandum dedit, Deus passim & impune adulteria per- misset seu tolerasset; nam cum repudiata non po- tuisset validè nubere alteri, continua cum eo ad- ulteria perpetrasset. Ergo per libellum repudii matrimonii vinculum solvebatur. Demum Exo- di 21. Jex erat ut si servo dominus de dissitis uxore, & peperisset filios, anno septimo servus e- gredere debet liber, uxor autem & liberi manerent sub potestate domini; quod certè signum est, fuisse tunc vinculum matrimonii dissolubilem; al- lias enim uxor debuisset in perpetuo cælibatu manere, cum tamen non sit credibile, mulieres in veteri lege fuisse coactas servare perpetuum cælibatum, quæ eo tempore erat plane insolita- tus.

31 Dico secundò, repudium non fuisse licitum Gentilibus, sed solis Hebræis.

Ratio est, quia indissolubilitas matrimonii est de jure naturæ, quod non solum ad fideles, sed etiam ad infideles & Gentiles se extendit: At in hoc jure non fuit dispensatum, nisi cum solis He- bræis: Ergo reliquæ Gentes manserunt hoc jure astrictæ, subindeque apud illas non fuit licitum repudium. Major constat ex dictis articulo præ- cedenti. Minor verò ex eo patet, quod nullibi ta- lis dispensatio cum Gentilibus facta extet: nul- lum autem privilegium, in juri communis præ- judicium, sine manifesta Principis dispensatio- ne, præsumendum est. Ex quo intelliges, peccasse contra legem naturalem Romanos, aliosque Gentiles, apud quos solo conjugum consensu, nullà justà interveniente causâ, frequenter legiti- ma, matrimonia dissolvebantur: qui ad adul- terium correcti sunt per antient. Theodori, Valentia- ni, & Justiniani, ut constat ex capite de repudiis l. Consensu & sequentibus.

Aliqui tamen Gentilium excusari possunt à culpa repudii, ratione ignorantie invincibilis, quia indissolubilitas matrimonii non deducitur immediate ex principiis per se notis, sed per re- motas consequentias à illis colligitur; unde præceptum divinum & naturale de indissolubi- litate matrimonii invincibiliter poterant igno- rare, & existimare in aliquibus casibus matrimo- nii solutionem, ejus indissolubilitati prævalere. Vix tamen Imperatores Christiani, qui repu- dium concesserunt, à culpa excusari possunt, li- cèt aliqui eos excusare conentur, dicendo, eos minime approbasse aut permisisse repudia tan- quam licita, sed tantum à minus mala, & ut gra- viora mala præcaverentur, tolerasse. Permittimus enim (inquit Chrysostomus) quod nolentes indulge- mus, quia pravam hominum voluntatem, ad plenum prohibere non possumus. Permittitur ergo fieri mala, ne sint peiora. Existimamus etiam aliqui Deum inter- dum dispensasse cum quibusdam Gentilibus in

A lege naturali de matrimonii indissolubilitate, ut cum Asuero, qui Vasthi repudiavit, & Esther duxit in uxorem; quia (inquiunt) tale repudium in salutem totius Gentis Hebrææ, quam Aman perdere & abolere volebat, à Deo fuerat ordi- natum.

Ex dictis in hac secunda conclusione inferitur, infideles ad Christianismum convertos, si tem- pore infidelitatis legitimas uxores repudiave- rint, cogendos esse ad illas redire, quamvis jam aliud inissent matrimonium; quia secunda uxor, quam priori repudiata, duxerint, non est legiti- ma, cum prioris repudium invalidum fuerit, utpote juri naturali repugnans.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusio- nem: Divus Thomas hic quæstione sexage- sima septima, articulo tertio enumeratis tribus modis, quibus aliquid permitti dicitur, subdit: Quartus est per privationem punitionis, & sic libellus re- pudii in lege permittitur fuit, non quidem propter ali- quod majus bonum consequendum, sicut fuit dispensatio de plu- ribus uxoribus habendis, sed propter majus malum conti- nendum, scilicet uxoricidium, ad quod Judæi prompti erant, propter corruptionem irascibilis: sicut & permittitur eis extraneis suenerari, propter corruptionem aliquam in concupiscibili, ne scilicet fratribus suis suenerentur; & sicut etiam propter corruptionem suspitionis in rationali, fuit permittitur sacrificium zelotypiæ, ne sola suspicio apud eos suum corrumperet. Et tertio contra Gent. capite 12, Excluditur (inquit) consuetudo nimis re- nium uxores, quod tamen in veteri lege permittitur fuit Judæis, propter eorum duritiam; quia scilicet prompti erant ad occisionem uxorum: permittitur ergo fuit minus ma- lum, ad excludendum minus malum: Ergo juxta Di- vum Thomam, repudium non fuit licitum Ju- dæis, sed duntaxat permittitur seu toleratum, ad vitandum majus malum, scilicet uxoricidium.

33 Respondeo Divum Thomam in supplemen- to, desumpto ex quarto sententiarum, utramque opinionem ut probabilem defendere, & re- spondere argumentis utriusque; quia tamen opi- nio doctrinæ nostræ ad veritatem, eo tempore quo scripsit commentaria in libros sententiarum, communior erat, in eam magis inclinavit, sic concludens articulum citatum: Dicunt alii, quod quamvis repudiare uxorem, per se sit malum, tamen ex permissione divina licitum fuit, &c. Et quamvis hac probabiliter dicatur, tamen primum communius susti- netur: ideo ad utrasque rationes respondendum est. Si- militer in Summa contra Gentiles, in senten- tiam nostræ ad veritatem, ut probabilior, magis inclinavit. Sed in capite decimo nono Matthæi è contra in nostram opinionem magis propen- det, dicens, quod licet repudium inordinatum quid- esset, noluit tamen Deus, quod Judæis imputaretur ad cul- pam, idque probat ex Chrysostomo dicente quod à peccato absoluto peccati culpam, dispensando scilicet in legem naturæ, prohibente dissolutio- nem matrimonii. Præterea idem sanctus Do- ctor prima secundæ quæstione centesima secun- da, articulo quinto ad tertium dicit expresse, quod ideo in veteri lege matrimonium non erat Sacramentum conjunctionis Christi cum Ec- clesiâ, quia dabatur in ea libellus repudii, quod est con- tra rationem Sacramenti. Ex quo sic licet argueret. Ut hæc ratio valeret, necesse est quod per libel- lum

Homil. 32. super cap. 19. Matib. mus, quia pravam hominum voluntatem, ad plenum prohibere non possumus. Permittitur ergo fieri mala, ne sint peiora. Existimamus etiam aliqui Deum interdum dispensasse cum quibusdam Gentilibus in

lum repudii, dissolveretur matrimonium in lege veteri, non tantum quoad habitationem, & thorum, sed etiam quoad vinculum; sola enim dissolutio quoad vinculum, est contra rationem Sacramenti, quandoquidem in lege Evangelica dissolvuntur matrimonia quoad thorum & habitationem, & tamen hoc non est contra rationem Sacramenti, alias enim fieri non posset: Sed si dissolveretur matrimonium in lege veteri etiam quoad vinculum, per libellum repudii, cum indissolubilitas matrimonii sit de lege naturæ, hoc non fieri poterat, nisi Deo dispensante, & consequenter non tantum impune, sed etiam licite, poterant Judæi uxores suas repudiare: Ergo, &c.

34 Obijcies secundo: Christus Matthæi decimo nono Phariseis interrogantibus, si liceret homini quacumque ex causa dimittere uxorem? Respondit, non licere, eo quod obiter institutio matrimonii. Iphis autem replicantibus: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere? At: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Ex quibus sic arguitur: Non est credibile, Deum in iure naturali dispensasse generaliter, nisi propter finem aliquem honestum, qualis erat multiplicatio generis humani, & specialiter populi fidelis, quo modo dispensabat in lege monogamiæ: Atqui talis finis non reperitur in permissione repudii; solam enim ejus rationem assignat Christus duritiam cordis Judæorum: Ergo non dispensabat Deus, sed tantum tolerabat impune, & consequenter peccabant Judæi repudiando suas uxores.

Confirmatur: Libellus repudii datus est propter duritiam cordis Judæorum: Sed talis duritia non excusabat eos a peccato: Ergo nec lex de libello repudii.

35 Ad objectionem respondeo, quod licet in permissione divortii non reperiretur ille finis, qui reperiebatur in lege monogamiæ, indulgentia tamen Dei conniventis imperfectiori & fragilitati Judæorum, fuit causa honesta ad ita dispensandum, ut liceret eis repudium.

Ad confirmationem responderet D. Thomas hic quæst. 67. art. 3. ad 4. quod quævis duritia cordis non excusaret a peccato, tamen permissio ex duritia facta excusabat. Quadam enim prohibentur sanæ, que non prohibentur infirmis corporaliter; nec tamen infirmis peccant, permissione sibi facta utentes. Sicut ergo cum Il-raci Regum & petiit gubernari a Regibus, qui hactenus gubernatus fuerat immediate a Deo per Prophetas; tamen ea petitio fuerit iniqua, utpote facta ab iis qui imperium Dei detrectabant, ut constat ex verbis Dei ad Samuelem: Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos; adhuc tamen Deus exaudivit eam, & concessitq; illis Reges, dispensando in prioris regimine, ut indicant verba illa: Audi vocem eorum, & constitue super eos Regem. Ita similiter, licet dispensationem contra legem communem de indissolubilitate matrimonii Judæis Deus concesserit, ob cordis eorum duritiam, quæ difficiles se ostendebant ad legem illam servandam; nihilominus verè eos a tali lege dispensavit, cum permisit eis dimittere uxores per libellum repudii, Deuteronomio 24. Alioquin ut supra dicebamus, cum ibidem permisit uxori repudiatae convolare ad secundas nuptias, si per talem legem non dispensasset in præcepto de vinculo conjugali, aniam præbisset passim & impune adulteria committendi, in quo quodammodo ad ea induxisset, dum per publicum & ju-

ridicum libellum potestatem dabat mulieri repudiatae, alteri nubendi: eoque mortuo ad priorem virum redire prohibebat. Quod si verum a veritate, sed etiam a verum illud, prorsus alienum est: quis enim ubi perit, legem illam quæ adulterium morte puniret, jubebatque lapidibus obrui mulierem in adulterio deprehensam, tolerasse impune tot adulteria continua publice parata.

Dices, Lex prohibens ne repudiata quælibet nuplerat, mortuo secundo viro, recipere a priori, rationem hujus prohibitionis reddat, quia polluta est, & abominabilis facta coram Domino: Atqui si dissolutum fuisset prius matrimonium, & consequenter secundum legitimam extrinsecam, nullâ ratione dici potuisset polluta; polluta enim non est quæ mortuo marito iterum nuplet. Ergo dicitur polluta ratione adulterii committendo viro.

Confirmatur ex illo Jeremie tertio. Vulgè dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, & nupletur aliam, nunquid revertetur ad eam ultra? Non quid non polluta & contaminata sit mulier illa: Uxorem fornicatam cum amatoribus multis tamen revocare ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam. Quibus protestemur verbis, aperte significatur, mulierem repudiata, non solum fuisse pollutam, convolvendo alteri, sed etiam fornicatam, id est pollutam comparatio ibi à Deo facta.

Ad instantiam, concessa Majori, nego Minoram, & ad illius probationem dico cum sancto Thoma hic quæstione sexagesima tertia, articulo quarto ad quintum, repudiata quæ alteri nuplit, dici pollutam & abominabilem coram Domino, legaliter, eo modo quo immundus dicebatur in eadem lege Moisaica, qui mortuum tangebatur, vel leprosum, non immunditiae culpa, sed ejusdem irregularitatis legalis, unde etiam sacerdoti non licebat, viduam & repudiatam ducere in uxorem.

Ad confirmationem dicendum, Deum ita loquutum esse, argumentando à minori ad majus, & verbis illis Jeremie significare voluisse, quod licet juxta legem Moisaicam, mulier repudiata, quæ alteri nuplerat, non posset recipi a priore marito: ipse tamen recepturus esset in gratiam populum Israel, post suas fornicationes cum pluribus amatoribus, & non obstanti mulieris idololatricæ, in quam prolapsa fuerat, tamen major esset ratio eum non admittendi, ad suam gratiam & amicitiam.

Obijcies tertio: Nullus ex sanctis Patribus sub lege Moisaica viventibus, usus est facultate dandi libellum repudii uxori: solus enim Abrahæ, qui ante legem illam fuit, legitur, Deo dispensante, Agar repudiasset. Ergo si quidem hoc non fuisse licitum.

36 Respondeo negando consequentiam, licet enim permissio repudii esset licita, quia tamen erat minus bona, non est mirum, quod perfecti & sancti viri eam uti noluerint.

Obijcies quarto contra secundam conclusionem: Deus post diluvium non solum cum fidelibus, sed etiam cum Gentilibus & infidelibus in monogamia dispensavit, eisque uxores habere permisit: Ergo etiam cum illis matrimonii indissolubilitate dispensavit, & uxorum repudium concessit.

Respondeo, dato Antecedente, quod Soto, Sanchez & alii negant, negando consequentiam & paritatem: cum quia dissolubilitas magis ad-

versatur matrimonio, quam polygamia seu uxorum pluralitas, ut articulo precedenti ostendimus; cum etiam quia post diluvium polygamia, seu pluralitas uxorum, erat necessaria vel utilis ad propagationem & multiplicationem generis humani, ad quam matrimonium ut ad finem primarium & principalem ordinatur; secus vero divorcium seu repudium.

ARTICULUS III.

Verum ob adulterium alterius conjugis, matrimonium quoad vinculum dissolvatur?

44 **C**ertum & indubitatum est apud omnes, adulterium alterius conjugis, esse sufficientem causam divorcii, seu separationis, quoad thorum & habitationem, ut constat ex capite quinto, & decimo nono Matthæi & cap. Significasti. ca. Gaudemus. cap. Ex litteris, de divorcio. Ratioque id iuvat: Per matrimonium enim conjuges mutuum sibi fidem, quoad thorum & habitationem pollicentur: Sed jus naturæ dicitur, ut frangenti fidem, fides servanda non sit: Ergo ex ipso naturæ jure, conjux, cui alter adulterans fidem frangit, minimè tenetur illi fidem servare quoad thorum & habitationem, sed potest quoad utrumque per divorcium ab illo separari. Solum ergo difficultas est, an ob adulterium alterius conjugis, dissolvatur matrimonium quoad vinculum, ita ut possint conjuges ad alias nuptias transire? Ratio dubitandi sumitur ex verbis illis Christi Matthæi decimo nono. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur; & qui dimissam duxerit, moechatur.* Ubi Christus aperte concedit dimissionem uxoris, ratione adulterii. Nec potest intelligi de sola dimissione quoad thorum & habitationem; quia non esset ad rem Christi responsio, Pharisæi enim de dimissione quoad vinculum, quam repudium appellabant, interrogare. Hoc fundamento ducti hæretici nostri temporis, asserunt fornicationem seu adulterium esse sufficientem causam ad dissolvendum matrimonium, non solum quoad thorum & habitationem, sed etiam quoad vinculum conjugale; sicut olim in lege Moisaica, libellus repudii illud quoad utrumque solvebat. Idem docent Erasmus in annotationibus in cap. 7. prioris ad Corinth. Cajetanus in cap. 19. Matthæi & Catharinus libro quinto annotationum contra Cajetanum, in fine. Ut hic error refellatur, & Catholica veritas stabilatur & defendatur.

45 **D**ico breviter, ob adulterium alterius conjugis, matrimonium quoad vinculum non dissolvitur.

Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 24. can. 7. his verbis: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterii non dedit, non posse, altero conjugis vivente, aliud matrimonium contrahere, mocharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, qua dimisso adultero alii nupsit, anathema sit.*

Eadem veritas aperte ex Scriptura colligitur:

Tom. V.

A Nam Marci nono absolute dicit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium commisit super eam.* Item Lucæ decimo universaliter ait: *Omnia qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, moechatur.* Ubi propositio universalis, *Quicumque & Omnis*, nullam excludit causam dimissionis, subindeque Christus verbis illis significat, ob nullam omnino causam, etiam ob fornicationem, posse alterum conjugum ad alias nuptias transire. Unde Augustinus libro primo de adulterinis conjugis capite nono. *Si quicumque hoc fecerit, ut uxore sua dimissa, alteram ducat, moechatur: sine dubio ibi sunt ambo, & qui prater, & qui propter causam fornicationis dimittit uxorem.* Hoc est enim: *Quicumque dimiserit, id est, omnia qui dimiserit.* Hanc explicationem & sententiam confirmat admiratio Discipulorum Matthæi decimo nono, qui Christi sententiâ de matrimonio audita, dixerunt non expedire, si ita est, uxorem ducere; quia nimirum ut rem difficillimam apprehenderunt, non posse vicum, uxore ob fornicationem dimissa, aliam ducere.

Potest etiam nostra conclusio suaderi ex illo **A**postoli ad Romanos septimo. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viro: igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, &c.* Quod testimonium egregie urget Augustinus contra Pollentium libro secundo de adulterinis conjugis, capite secundo, ubi sic disputat: *Quomodo igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, quandoquidem vir ejus ille jam non est, conjugali vinculo per mulieris adulterium iam soluto?* Quo enim vivente viro, nisi suo, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; sed nullum habens virum, nubendo erit cum suo viro. Quamobrem secundum doctrinam sanam, mulier alligata est, quando vir ejus vivit, id est nondum è corpore abscessit. Hæc verba Apostoli, toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nec minus viri posteriori mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit; esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licite itaque dimittitur **D** conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod sit reus adulterij, qui dimissam duxerit, etiam ob fornicationem.

Est etiam aliud Apostoli testimonium, ex **A** quo veritas nostræ conclusionis aperte colligitur, ait enim Paulus primo Corinthiis ult. septimo. *Iu qui matrimonio iuncti sunt, præcipo non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere in nuptia, aut viro suo reconciliari.* Ubi, ut rectè advertit Augustinus libro primo de adulterinis conjugis capite primo & secundo: & libro de bono conjugali capite nono. Cum dicit Paulus, quod si discesserit, maneat in nuptia, aut viro suo reconcilietur: loquitur in casu propter quem licitum est uxori à viro recedere, qualis est casus fornicationis; alioquin determinatè illi præciperet, ut ei reconciliaretur; non autem disjungit, ut vel id faceret, vel maneret in nuptia, id est cum viro altero matrimonium non contraheret: quare verbis illis innuit, non licere mulieri, quæ ob casti adulterium, ab illo discessit, transire ad secundas nuptias, sed debere manere in nuptia, aut viro suo reconciliari. Quam explicationem confirmat Evaristus Papa Epistola secunda, ubi sic ait: *Sicut uxori non licet dimittere virum suum, ut alteri se, vivente eo, matrimonio societ, aut eum adulteret, licet fornicetur sit vir ejus; sed juxta Apostolum, aut viro suo reconciliari debet, aut manere*

Dddd 2

in nuptia